manuscript

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ca. x[…] de appetitu prosperita[…]

liter amonendi sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt
prosperantur atque aliter qui ea quidem que mundi
sunt concupiscunt. Sed tamen adversitate labore
fatigantur. Amonendi namque sunt qui in hoc quod
temporaliter appetunt prosperantur Ne cum cuncta ad vota suppetunt
dantem querere negligant. Sed ne in hiis que dantur animum figat
Ne peregrinacionem pro patria diligant. Ne subsidia itineris in
obstacula perventionis vertant. Ne nocturno lune lumine delec-
tati claritatem solis videre refugiant. Ammonendi itaque sunt.
Ut queque in hoc mundo consequuntur calamitatis solacia non autem
premia retributionis credant. Sed contra favores mundi
mentem erigant ne in eis ex tota cordis delectatione succum-
bant. Quisque enim prosperitatem qua utitur apud iudicium cordis
melioris vite amore non reprimit. favorem vite transeuntis
in mortis perpetue occasionem vertit. Hinc est enim quod sub ydu-
meorum specie qui vincendos se prosperitati sue relinquunt
in huius mundi successibus letantes increpantur. cum dicitur.
Dederunt terram meam in hereditatem sibi cum gaudio et
toto corde ex animo. Quibus verbis pensandum quod non solum quia
gaudeant sed quod toto corde et ex animo gaudeant districta repre-
hensione feriantur. Hinc salomon ait. Aversio parvulorum interficiet eos.
et prosperitas stultorum perdet illos. Hinc paulus ayt. Qui emunt
tanquam non possidentes et qui utuntur hoc mundo tanquam non
utantur. Ut videlicet que nobis suppetunt exterius serviant.
quatenus a delectationis superne studio animum non inflectant. ne luc-
tum nobis intime peregrinationis temperent ea. que in exilio pro-
speris subsidium prebent. et quasi felices nos in transitoriis gaude-
amus. qui ab internis et eternis nos interim miseros cernimus.
Hinc namque est quod electorum voce dicit ecclesia. leva eius sub capite
meo et dextera ipsius amplexabitur me. Sinistram dei pro-
speritatem videlicet presentis vite quasi sub capite posuit. quam
intencione summi amoris premit. Dexteram vero dei eam amplectitur.
quod sub eterna eius beatitudine tota devotione continet. Hinc
rursum per salomonem dicitur. longitudo dierum in dextera eius.
in sinistra vero divicie et gloria. Divicie namque et gloria